No. 11.

Viro illustri
CONSTANTINO HUGENIO &c.
Principi Auriaco
Consilijs et a secretis

Jo. Hadelhavius S. P. D.

Tantum mihi de generosa facilitate tua polliceri ausim,
Vir Nobilissime, ut ne inexpectato quidem more obstrepere
tibi erubescam. Ne multis verborum ambagibus humanitatem
tuam fatigem, eam totam paucis perstringam. Est
quidam Gualtherus Hakius, haud inter postremos civium
Verdensium, qui, ante annos jam plusculos, nobili cuidam, præ-
dium, in tractu Bremensi situm, vendidit. Qui, etsi nomen
agnoscit ac fatetur, solutionem tamen differre pergit.
Quod ne fiat diutius, cogitur Amicus noster aliorum operam
ac consilium implorare. Quare, ipsi gratificaturus, tuam
Excellentiam, non possum, quin vehementer rogem, ne hac in
parte adesse dedignetur. Utique hoc non feceris, amplissime
Hugeni, quin, & mihi, imo & Heinsio nostro, pergratum
feceris. Mihi quidem, dum res quoque illa me tangit,
quem enim Amicum laudo ac commendo, socer meus futurus
est. Sed & divino Heinsio, qui ad hoc tam splendidum conju-
gium me & stimulavit, et promovit. Si igitur juvat de
utroque nostrum bene mereri, quæso, litteras à Princi-
pe procura, quibus res nostra illustrissimo Episco-
po Bremensi serio commendata maturetur. Sic namque
voti tandem nostri compotes evadamus. Me quidem
hinc tibi æternum obligaveris. Quacumque vicissim in
re, pro tenuitate quidem mea, inservire tibi quidem,
expeterem, nihil flagrantioribus me concupiscere votis,
quam ut liceat amicis meis, inter quos tu, velut Luna
inter stellas, micas, quoquo tandem modo gratificari.
Accepi, jam haud ita pridem, litteras à Magno illo Chiffle-
tio. Jubet heros ille te plurimum salvere. Ut & Tuedamus
noster, qui raras ingenij tui dotes æstimat. Magistratus
Sandavensis (ne quid tibi sileam) Nobilitatis Tabellario-
rum testimonium satis honorificum ad me misit. Curavit
hoc vir illustris, Chiffletius, Serenissimæ
Isabellæ Archiatrus. Ut hinc colligas, quam gene-
rosa etiam pectora nobis bene velint.

[Koninklijke] Akademie van Wetenschappen

© Koninklijke Bibliotheek
KA 42a, nr. 11
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/517

Vale, Vir Illustris, et, quantum me amas, nunc ostende. Interim ego te, amare, aesti-
mare pergam. Salutaris quàm officiosissimè ab
Heinsio nostro. Vale iterum, mi Heros, et dive-
ra. Lugduni Batavorum C. Cal. Julij.
MDCXXX.

[illegible]

Habito, à latere Reverendi Domini Riveti.